



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Vitae Sanctorvm**

**Lippeloo, Zacharias**

**Coloniae Agrippinæ, 1603**

Certamen S. Et Gloriosi Martyris Demetrij Thessalonicensis: Ex eo quod est  
apud Metaphrasten. Coronatus est anno Christi 304. Marcelli Papæ 1.  
Const. & Galer. Imp. 1. vel circiter.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42787**

Vide Tom. 2  
Annal. C.  
Baron. &  
Notat ad  
Martyrol.  
Roman.

CERTAMEN S. ET GLORIOSI MARTYRI S. DEMETRII THESSALONICENSIS: Ex eo quod est apud Metaphrasten. Coronatus est anno Christi 304. Marcelli Papae 1. Const. & Galer. Imp. 1. vel circiter.

8. Octob.

Patria &  
genus eius  
illustre.

DEMETRIUS ciuitate Thessalonica oriundus, parentum stemmate & genere clarus, primam originē ab antiquis Macedonibus traxisse fertur. Sed hic tantus natalium splendor, quanquam non contemnendus, tamen si ad illustria illius virtutum maximarum ornamenta conferre velimus, obscurus quodammodo earum respectu videri potest. Nam cum eo tempore seua & immanis Tyrannorum persecutio, Christianam pietatem vehementer oppugnaret, Demetrius, vnus inter omnes, nō fide tantum, religione & pietate ornatissimus, sed & miraculorū gloria illustris, præclarum sanè certamen sustinuit. Quod quæ ratione confecerit, non erit abs re per cunctas illius ætates describere.

Præclara illius indoles & ingenium.

Cum puer adhuc liberalibus disciplinis adhibitus esset, corporis animæque nobilitate omnibus superior, singulari quodam ingenij acumine præditus erat: tum ad disciplinas imbuendas, tum ad mores colligendos & benignitate quadam admiranda condiendos. Vultus verò elegantia internum animi candorem sole meridiano clariùs, exprimebat. Optimis igitur moribus & instituto vitæ honestissimo, pueritiam pubertatemque transmittens, antequam togam sumeret virilem, insigne aliquod mili-

Dat operam militis.



militaris gloriæ decus annorum exercitatione comparare sibi statuit : comparauitque, tanta cum sui nominis prædicatione ac celebritate, ut Imperator Maximianus ingenij eius animique magnitudine permotus, Græciæ Proconsulem eum crearet : & consularibus insignibus suis ipse manibus indueret. Ille vero nequaquam, abiecto & pusillo animo, caduca sibi proponens, sed excelso planè & diuino æterna assiduè voluens paruam oblatæ dignitatis habebat rationem: Quin potius tota mente in suam & omniû salutem vehementer intentus, intrepidè cunctis Christum annuntiabat, nihilque ferè aliud præter Dei verbum in ore habebat. Neque frustra sanè Christianæ facundiæ præstantiam exercebat, sed multos à densis errorum tenebris, ad dulce veritatis lumen adducebat. Ardebat interim magis quotidie magisque incredibili desiderio salutis animarum omnium; summumque damnum reputabat, si non omnes, ad quos verba instituebat, ab infœlici dæmonum seruitute in Christi libertatem vindicaret.

Cùm autem totus in eo esset, suauissimaque doctrinæ suæ fluente multorum auribus instillaret, quidam dæmonum satellites, qui ex Christianorum sanguine Imperatoris gratiam & fluxos mundi venabantur honores, eum die quodam palàm verba salutis facientem comprehendunt, vincitumque ad Imperatorem, spe præmij ingentis inescati, pertrahere parant. Cùm primùm ergò institutam aduersus eum audisset quæstionem Imperator, variè fuit affectus. Stupebat; dolebat,

I 4 time-

*Fit Græcia  
Proconsul.*

*Christum  
prædicat: &  
multos ad eum  
conuertit.*

*Zelus ani-  
marum.*

*Comprehen-  
ditur inten-  
tus concionan-  
tium.*



timebat: irascebatur. Stupebat, propter rei novitatem, quam audiebat. Dolebat, propter viri iacturam. Timebat, ne cum talis esset, populum ad suam traheret religionem. Irascebatur, quod honoris ei delati nullam duxisset rationem. Sed cum solo auditui ægrè fidem accommodare posset: (nam quod qui nō vult, difficilè credere potest) voluit oculos rei auditæ testes adhibere. Iubet ergò virum ad se adduci.

*Ducitur ad  
Imperatorē.*

Is autem neque imperij magnitudinem expauescens, neque supplicia, quæ expectabatur formidans, neque Iudicis sævitiam contremiscens, liberè fidei suæ edidit professionem: ac idolorum vanitatem constanter irrisit. Deinde orationem ad Imperatorem conuertens: Honores tui, inquit, ó Rex, & bona, ijs funto, qui tibi parent; quiq; nihil, præter huius mundi gloriam & opes, sitiunt. Quomodò enim illa eum allicere poterunt, qui invidiosam imperij tui coronam despicit atq; contemptui habet? Quod si mihi etiam mortem intuleris, tunc scias te mihi rem, vnam omnium optatissimam incundissimamq; præstare, vtpotè qui per eam ad Christum me transmittas, cuius aspectum vnicè desidero.

*Eius animi  
magnitudo.*

*Abducitur  
in carcerem.*

His auditis Maximianus eum in carcerem abripi præcepit; sperans temporis longinquitatem animi mutationem inducturam. At simulac carcerem subiit martyr, scorpius, è latibris proserpens, pedem eius sublato puncturus stimulo properabat: quem sanctus martyr, edito Crucis signo, protinus interemit. Inde cum CHRISTO iucunda psallens voce, moræ quo

*Crucis signo  
perimit Scorpium.*



re quodammodo impatiens, auidè ad certamen anhelaret, Angelus Domini ei consolator adfuit, pacem adferens; & animi robur sua præsentia confirmans. Et quidem Demetrius hoc modo in ergastulo conclusus, Christi gratia & misericordia fretus certamen expectabat.

*Consolatur  
ab Angelo.*

Maximianus autem gladiatorum spectaculis intētus, effusione humani sanguinis oculos animumque pascebat. Erat autem vir quidam barbarus patria Vandalus, ipsi Maximiano sanguine iunctus, corpore viribusque ad luctā validus: eaque de causa admodum ei gratus & existimatione virium facile princeps. Nomen erat ei Lyæus. Is cum insolenter vires suas iactaret, cæterosque gladiatores gloriabundus ad certamen prouocaret, & multis humi stratis, multis etiā vita spoliatis, de omnibus palmam obtineret; quidam ætate admodum iuuenis, Nestor nomine, inclyto martyri Demetrio probè notus, æmulatione gloriæ Lyæi prouocatus, ad martyrem abiit, supplexque ab eo petijt, vt virtutem sibi à Deo impetraret, qua superbientem temerè Lyæum prosterneret. Demetrius haud ignarus quòd de Lyæo nò modò, sed & de hoste animarum omnium terribilissimo, victoria potiretur; ilicò frontem eius & pectus Crucis signo còsignauit, suisque munus precibus intrepidè in certamen descendere iussit.

*Lyæus Vandalus, gladiator validissimus.*

*Nestor iuuenis, eius superbiam detestatur.*

*Crucis signo in fronte & corde à S.*

*Demetrio armatus, venit in stadium contra Lyæum.*

Statim igitur Nestor in stadium veniens, reiecta tunica Lyæum ad singulare certamen prouocauit. At Imperator primò adolescentis stupefactus audacia, deindè nihil aliud esse opinatus



natus, quàm ostentationem virtutis; ò inquit, adolescens, facilè colligo extremam pecuniæ inopiam te ad hanc tantam adigere audaciam, ut si viceris, opes ingentes consequaris, sin victus succumbas, paupertatem simul cum vita effugias. Sed æquo animo esto, ego & ætatis tuæ & pulchritudinis misertus: inopiæ malum larga manu à te propulsabo. Nam cum Lyæo congregi, viro robustissimo, & omnibus victorijs inclito, est in apertam perniciem furibunda mente ruere. His auditis, Nestor neque munerum oblatione emollitus, neque prædicatione virium Lyæi exterritus, Minimè, inquit ad Imperatorem pecuniarum causa in certamen prodeò; sed virtutis tantum & gloriæ. Hæc Nestoris dicta cum & Imperatorem & adstantes ad iram prouocarent, tum Lyæus verbis Imperatoris acrius ad certamè stimulat, impetu & audacia plenus, in circū descendit. At Nestor, precibus Demetrii confusus, oculos ad Christum sustulit, tacituque illius numen deprecans, venientem aduersariū stricto acinace excepit: ac celeritate incredibili mortiferum vulnus ei infixit. Et ille quidem statim concidit exanimis: Imperator verò dolore propemodum enecatus; ira & tristitia plenus, celeriter ad regiam abiit.

Ibi cum grauius apud se versaret, tum nihil non molitus est, ut Nestoris virtutè obscuritate inuolueret, Lyæumque magicis interfectum artibus diuulgaret. Nec longa mora. Vocatum ad se Nestorè iubet profiteri, qua arte, quibusve fraudibus iniucto robore Lyæum strauisset. Cui Nestor nihil territus; Est, inquit, solus Deus

Deme-

*Nestor Lyæum  
virum robustissimum  
prosternit.*



Demetrii; Deus inquam Christianorum, cuius virtute in hoc certamine superior euasi. Hoc Nestoris responso vehementer irritatus Imperator, dictum factum, proprio ense eum trāsfigi iussit. Et sic quidē Nestor martyrico sanguine expiari & sanctificari meruit. Cæterū furor Imperatoris, propter Lyxi mortem, lōgius vastans, iubet quoque ipsum Demetrium in carcere constitutum lanceis confodi; & corpus inhumatum relinqui; quod non multo post tempore à Christianis noctu indè ablatum piè ac religiose sepultum fuit.

Hoc beato sine, Martyre coronato; quidā famulorum eius sacrum cruorē linteo exceptit, annulumq; eius sanguine tinctum, magni thesauri loco, apud se habuit. Quæ virtutis nequaquam expertia, stupenda patrabant miracula; morbos curabant; demones ex oblesis fugabāt corporibus; & totam denique ciuitatē miraculorū gloria replebant. Vndè cum neque Maximianum ea laterent, famulum ad se perductū (is Lupus vocabatur) antè ipsum Tribunal capite plecti iussit. Procedente autē tēpore, & signis ex loco, in quo latebat corpus Martyris, coruscantibus, & tū Macedoniam, tum Thessaliam peruadentibus, quidā Leontius & gloria clarus, & Christi amore ardens, qui tunc erat Præfectus Illyrici, graui morbo detentus, vltimoq; languore, sinè vlla spe curationis, oppressus, Thessaliā ad Martyris ædiculam profectus est: vbi fuis ritè precibus, sanitatem repentè consecutus est. Quam adeptus, in grati animi significationē, nouum insigni opere templum in Thessalonica ciuitate à fundamentis excitauit;

*Nestor cœditur pro Christo.*

*Demetrius lanceis confoditur.*

*Plurima facit miracula sanguis eius.*

*Lupus Demetrii famulus pro Christo occiditur.*

*Leontius Præfectus ad Martyris tumulum celeriter curatur.*

*Elegantissimum templum condit S. Demetrio miraculis claro.*



uit; quod pulchritudine & magnitudine sua nulli alij ex ijs cedit, quæ mouent oculos ad admirationem & voluptatem. Porrò multa miracula & curationes ad chlamidem martyris Syrmium à præfato præfecto translatam plurimi sunt consecuti.

VITA S. PELAGIAE, QVAE EX IN-

8. Octob.

*Errant qui  
hanc Pelagiã  
conuersam  
dicunt à  
Nonno Epif-  
copo Portuë  
si, referuntq;  
eam ad tem-*

*pora Nume-  
riani vt la-  
tius docet  
Baron in  
Martyr.  
Rom.*

*Notat. &  
Tom. 6. An-  
nal.*

*Fuere Mæ-  
nades, mu-  
lieres, quæ  
Bacchi sacra  
celebrabant,  
passis crini-  
bus furentiũ  
more huc at-  
que illuc  
curstantes.*

*signi peccatrice, facta est perfecta pœnitentia exemplar: Ex ea quàm Iacobus, Diaconus Heliopoleos cõscripsit. Vixit Temporibus Theodosij Iunioris: qui peruenit vsque ad annum Domini 450. inclusiue.*

**S**ACRATISSIMVS Antiochenæ ciuitatis Episcopus Maximus, cum certâ ob causam omnium vicinorum episcoporum haberet conuentum, & inter alios Nonnus antistes Edissenus sanctitate & doctrina admirandus (nam ad illud honoris fastigium è Tabenotiarum monasterio solitarius propter solam spectatæ vitæ morumque integritatem euectus erat) rogatus est vt sermonem ad ipsos de rebus diuinis institueret. Conuenerant pariter ad fores beatissimi Iuliani martyris, vbi vir sanctus cum luculentis sanè verbis ingenti omnium admiratione exorsus esset, ecce tubitò, prima Mœnadum Antiochiæ, insignis meretrix a fello insidens cum incredibile pompa & apparatu illac iter habuit. Erat autem vsque adeò compta & ornata, vt nihil in eius vestibus præter aurum, margaritas, & gemmas, ingenti splendore micantes, cerneretur. Ipsi etiam pedes eius auro & margaritis tecti fulgebant. Stipabant verò eam ingens puerorum & puellarum